

Hæc vero hypothesis præsertim locum habet, cum lex lata est propter periculum seu finem generalem, quæ proinde urget et obligat, licet in specie non verificetur periculum seu finis legis.

TITULUS VIII.

De conjugio leprosororum.

1. Ex capite 1^o hujus tituli patet ob lepram, vel alium morbum contagiosum supervenientem non solvi vinculum matrimonii, sive illud sit solummodo ratum sive etiam consummatum. Quoad matrimonium ratum et consummatum, ratio est quia agitur de contractu jam completo et perpetuo, idest undequaque indissolubili. Quoad ratum tantummodo, ratio est, quod, licet non sit indissolubile absolute, canones etenim præviderunt casum solutionis ob professionem religiosam, tamen nihil statutum est de incommodo aliquo notabili corporeo superveniente.

2. Nec obstat cap. ult. h. t. in quo dicitur superveniente lepra conjugem cogi non posse ad copulam, quia matrimonium non adhuc fuerat consummatum. Nam illud 'consummatum' non sese refert ad consummationem matrimonii, sed ad consummationem consensus. Agebatur enim de meris sponsalibus in quibus consensus est solummodo de futuro, et non de præsentem et proinde dici potest consensus non consummatus.

3. Quod de lepra vel morbo contagioso superveniente diximus relate ad vinculum, dicendum esse etiam tenent Doctores de lepra vel morbo præexistentibus et ignoratis, idest non exinde irritum reddi vinculum matrimonii. Nam error in hac materia respicit solummodo qualitatem personæ et per consequens non est substantialis.

4. Quæritur utrum lepra vel alius morbus contagiosus inducere possit divortium *semiplenum*, idest relate ad thorum et cohabitationem.

In genere divortium hujusmodi nequit induci a) quia matrimonium importat de se contractum et obligationem perpetuam, b) quia causæ divortii minus pleni, procedunt ex culpa unius conjugis, quæ culpa per se non verificatur in casu, c) quia licet non possit haberi commercium carnale ob morbum contagiosum, tamen adhuc verificari potest societas mutui adjutorii; quæ est unus ex finibus matrimonii.

5. Verum ubi conjunctio maritalis sine periculo haberi nequeat, præstatio debiti conjugalis urgeri non potest. Nam nemo tenetur ad id præstandum, per quod timeatur destructio proprii individui. Hinc continentia servari debet a conjugibus. Cf. c. 1. h. t.

6. Si lepra vel alius morbus contagiosus superveniat post contracta sponsalia, sponsalia hæc dissolvuntur. Nam implicita conditio censetur inesse contractui '*dummodo res ita permaneant sicut sunt*' et alia '*dummodo res sint sicut apparent*'. Conf. cap. ult. h. t.

Prima præsertim conditio in sponsalibus locum habet, nam sponsalia non constituunt contractum absolute perpetuum et irrevocabilem sed possunt resolvi ob mutationem notabilem superinductam, sponsalia enim consistunt in promissione, et non exhibent contractum *completum* quemadmodum exhibet contractum completum matrimonium simpliciter ratum.

TITULUS IX.

De conjugio servorum.

1. Sermo est in titulo præsentem de impedimento *conditionis*.

Servorum nomine in jure non veniunt *famuli*, qui pacta mercede conduci solent, sed illi, qui ex jure gentium, vel civili, dominio alieno contra naturalem libertatem subjiuntur, ita ut considerari possint ceu pars domini domesticæ, et vendi, vel alio modo alienari possint.

Tales erant qui in bello capiebantur, quique *mancipia*, idest manucapti dicebantur; tales etiam erant, qui ex matrimonio ancillarum, quæ sub dominio erant, nascebantur, nam filius sequitur conditionem matris.

2. Si de matrimonio servorum sermo fit, habemus leges Romanas inter servos non agnovisse verum matrimonium, sed contubernium *l. 3. De Incest. Nupt.*

3. At aliter sentiendum est jure canonico.

Primis quidem Ecclesiæ temporibus, conjugia servorum licet fuissent inita, in scis vel invitis eorum dominis, ab Ecclesia uti valida habebantur. Nam proclamata est Lex Evangelica, qua coram Ecclesia servus non distinguebatur a libero, sed omnes erant æquales in fide. Ita ex *can. 1. q. 2. caus. 29.*, qui canon tribuitur Julio I. Romano Pontifici.

4. At a sæculo VIII. videtur fuisse mutata disciplina, ita ut invalidum ab Ecclesia haberetur conjugium, quod a servis initum esset absque dominorum consensu. Hæc disciplina eruitur ex *can. 8. caus. 29. q. 2.*, qui canon depromptus est ex Concilio Cabilonensi.

5. Hæc vero disciplina non constat directe an fuerit generalis necne. Profecto iudicium, quod insinuat universitatem ejusdem, infertur ex dispositione contraria *cap. 1. h. t.*, in quo disciplina hujusmodi abrogatur.

6. Decretalis autem hæc est Adriani IV., qui Pontificatum gessit ineunte secunda medietate sæculi XII. In hac vero decretali Pontifex invocat principia æqualitatis conditionis fidelium, invocata a veteribus canonibus, et decernit matrimonium contractum a servis invitis, vel insciis dominis, valere.

7. Sed ne jura dominorum lædantur, statuit servos etiam post conjugium præstare debere dominis suis consueta servitia.

8. Quid vero dicendum de matrimonio contracto inter personam liberam et aliam servili jugo obligatam?

Profecto si libera persona sciverit conditionem servilem alterius, matrimonium valet. Ita expresse in *can. 5. caus. 29. q. 2.*

9. At si persona libera contraxerit cum alia, quam credebat liberam, sed revera in servili conditione versabatur, sive error aut ignorantia sit antecedens, sive sit concomitans, matrimonium nullum est. Ita in *cap. 2. h. t. et in can. 4. caus. 29. q. 2.*

10. Si quærat autem ratio hujus impedimenti, illud videtur posse ad impedimentum erroris reduci. Nam ideo matrimonium nullum in casu retinetur, quia præsumitur intercessisse errorem substantialem. Qualitas si quidem libertatis vel servitutis ab Ecclesia considerata est, ceu qualitas, quæ statum personæ afficiens, et ob jura maxime diversa personam aliam saltem juridice exhibere videtur. Hinc error circa qualitatem servilem, resolvitur in errorem personæ. Nec proinde ex parte libera censetur adfuisse consensus. Nemo enim liber homo præsumitur contrahere velle matrimonium cum persona dominio alieno subjecta, quæque proinde non potest corporis sui plenam et absolutam potestatem tradere alteri conjugii, sed solum quatenus servitia domino debita permittant.

Si attendamus ad modum loquendi canonum videtur matrimonium contractum cum errore conditionis servilis esse invalidum

pro parte libera, quæ conditionem servilem alterius ignoravit, adeoque posse rescindi ad petitionem alterius. Certe in matrimonio, vera rescindibilitas admitti nequit, sed matrimonium aut illico valet, aut illico nullum esse debet.

11. Igitur loca juris ita accipienda sunt, ut dari posset purgatio hujus impedimenti, quæ purgatio ante Tridentinum Concilium fieri poterat per verbum vel per factum, et proinde præsumebatur a lege per liberam cohabitationem conjugum, post agnitam conditionem servilem. Post vero Concil. Tridentinum, hæc purgatio fieri debet diverso modo prout impedimentum est occultum vel publicum. Nam si est publicum ratihabitio et purgatio defectus fieri debet in forma Tridentina.

TITULUS X.

De natis ex libero ventre.

1. Principium est Juris Romani, a Jure nostro recognitum, quod 'partus sequatur ventrem'. Hinc prout mater est serva vel libera, filius servus est vel liber absque ulla relatione ad patrem.

2. Quoniam vero libertas est in jure causa favorabilis, hinc filius liber nascitur, et uti liber habetur, si mater libera fuerit saltem uno ex tribus temporibus, quæ relationem habent ad partum, idest vel conceptionis, vel nativitatis filii vel intermedio tempore, seu gestationis filii in utero. Qui enim conceptus est in utero pro nato habetur, quoties de ejus favore agitur *l. 5. et 7. ff. de statu hominis* quibus satis aperte consonat *cap. un. h. t.*

Hæc verificantur relate ad conditionem servilem.

3. Nam posito legitimo conjugio inter homines liberos, filii quoad dignitatem, et honores sequuntur conditionem patris.

4. Ita etiam uxor viri sui conditionem sequitur, quamvis inferioris gradus. *l. 5 ff. De senatorib. et c. 13. c. De dignitat.*

TITULUS XI.

De cognatione spirituali.

1. Matrimonium quod in vinculo amoris conjugalis fundatur, non bene conciliatur cum naturali verecundia, et amore isto reverentiali, qui oritur ex præexistente propinquitate personarum. Propinquitas personarum principaliter procedit ex cognatione.

2. Porro primaria cognatio est *naturalis*, quæ oritur ex communi et non remota personarum origine, ab uno eodemque stipite, quæque dicitur *consanguinitas*.

3. In similitudinem cognationis hujus, inductæ etiam sunt intellectu juris binæ cognationes, idest *spiritualis* et *civilis*. *Spiritualis* quidem ortum habet ex regeneratione in fide Christi, quæ regeneratio fit in Baptismate, et Confirmationis sacramentum eam perficit.

4. Legalis vero seu civilis cognatio procedit ex adoptione, quæ in jure civili imitatur cognationem naturalem.

I^o. De cognatione spirituali.

5. Cognatio spiritualis oritur ex Baptismate, vel Confirmatione, quia Ecclesia in horum sacramentorum administratione, vel susceptione, consideravit intervenire quamdam compaternitatem, commaternitatem, et filiationem spiritualem respondentem, ideoque censuit per hujusmodi sacramenta induci propinquitatem et vinculum quoddam personarum.

6. Penes antiquos canones et etiam jure Decretalium, cognatio spiritualis imitatur ipsam cognationem naturalem, et eo usque matrimonium dirimebat, quousque illud dirimebat consanguinitas et affinitas. Capp. 4. et 8. h. t.

7. At post Tridentinum *cap. 2. sess. 24. De Ref. matrim.* coarctatum est hoc impedimentum, scilicet cognatio spiritualis dirimit matrimonium: 1^o. Inter suscipientes et baptizatum vel confirmatum, ejusque patrem et matrem, 2^o. inter ministrum sacramenti et ipsum baptizatum vel confirmatum ejusque parentes.

Memoriæ adjuvandæ causa circa eos, qui cognationem spiritualem contrahunt in Baptismatis vel Confirmationis administratione, vel susceptione, inducti sunt sequentes versiculi:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes,
Confirmans, confirmatus, confirmatique parentes,
Suscipiens, susceptus, susceptique parentes.

Hinc cognationem spiritualem inter se non contrahunt suscipientes, idest patrinus et matrina, nec ipsi suscipientes cum ministro conferente sacramentum Baptismi, vel Confirmationis.

8. Quæritur an impedimentum hujusmodi contrahatur per baptismum invalide collatum. Responsio negativa est; quia ex

baptismate nullo nulla perficitur regeneratio, ac proinde nulla compaternitas inducitur, vel filiatio spiritualis.

9. Quid si baptismus privatim collatus fuerit etiam in casu necessitatis?

Doctores tenent ex hoc baptismate oriri impedimentum; quia 1^o. canones non distinguunt inter administrationem solennem et privatam; 2^o. quia ex baptismate privatim etiam in casu necessitatis collato, dummodo sit validus, gignitur regeneratio, ac proinde locum habet compaternitas et filiatio spiritualis.

10. Quid vero si pater vel mater proprium filium baptizaverint?

In genere inducitur impedimentum cognationis spiritualis. Hoc impedimentum quidem si filius natus est ex commercio fornicario ante contractum matrimonium efficit, ut absque dispensatione, nec licite, nec valide possit matrimonium contrahi.

11. Quod si autem matrimonium est contractum, impedimentum superveniens ex cognatione, juxta antiquos canones separationem viri ab uxore inducebat, ita ut non posset amplius servari individua vitæ consuetudo. *Can. 2. et 3. caus. 30. q. 1.*

Deinde autem factum est ut per hoc impedimentum solummodo conjux baptizans amitteret jus petendi debitum conjugale, teneretur autem reddere.

12. Tandem vero correctum jus est ita ut conjugi baptizanti neque jus petendi debitum conjugale adimeretur, quando baptizavit filium suum in casu necessitatis. Ita *in can. 7. caus. 30. q. 1.* Invocatum enim est principium illud: necessitas non habet legem.

13. Quid vero dicendum, si pater vel mater levaverint proprium filium in solemnibus baptismate?

Huic quæstioni respondet Alexander III. in cap. 2. h. t., ubi statuit non contrahi impedimentum cognationis, sive levaverit filium suum ex ignorantia, sive ex malitia. Ex malitia quidem pater levaret filium suum, ut exinde eximeretur aliquo modo ab onere debiti conjugalis. Quo in casu plena remanent jura et onera conjugalia, quia fraus et dolus nemini patrocinare debet. Si autem conjux filium levaverit ex ignorantia, pariter non contrahitur impedimentum cognationis, quia ignorantia eum excusare videtur.

Nec valet objicere impedimenta procedere ad instar irregularitatis, quæ incurritur etiam ab ignorantibus, nam in hypothesi matrimonii jam contracti inhabilitas ex cognatione importaret

privationem juris acquisiti, et aliqualem solutionem matrimonii, quæ profecto facile admitti nequit absque ulla culpa. Igitur ignorantia ubi adsit merito excusat ab impedimento cognationis. Quare in sensu capitis non contrahitur impedimentum cognationis, sive sciens sive ignorans, parens filium suum ex sacro fonte suscepit.

14. Quæritur quinam patrini esse possint in Baptismate et in Confirmatione.

Tridentinum voluit ut unus esset patrinus, vel vir, vel mulier, aut ad summum unus et una suscipientium officio fungerentur. Unus vero vel bini contrahunt impedimentum, dummodo 1^o. dum ipsum sacramentum confertur, non autem dum suppleantur cæremoniæ, cum animo obeundi officium susceptoris, assistant, et physice teneant parvulum baptizandum, vel confirmandum, aut saltem immediate illum recipiant e manibus sacerdotis. *S. Congreg. in 'Bobiensi' 20. Decemb. 1653. Giraldis ad cap. 3. h. t.* Unde ad contrahendam cognationem requiritur animus et tactus. Hinc qui servitii causa vel commoditatis tenent vel tangunt parvulum non contrahunt cognationem spiritualem: ex. gr. obstetrix.

15. 2^o. Ut a parentibus vel in eorum defectu a paroco patrini fuerint designati. Hinc si plures susceperint puerum, illi soli contrahunt impedimentum, qui ut supra designati fuerint, qui autem designati non fuerint, nullatenus contrahunt impedimentum.

Concilium Tridentinum in loco cit. ait: 'Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahunt'. Unde non amplius dantur patrini catechismi, id est qui instruebant catechumenum in fide.

16. Quod si contra dispositionem Concilii Tridentini, plures quam duos susceptores parentes proponant, et Parochus admittat, omnes cognationem contrahunt. Nam Trid. hanc cognationem non excludit. *Giraldis ad c. 3. h. t.*

17. Ut autem quis patrinus esse possit, requiritur ut in baptismate suscipiens sit baptizatus, in confirmatione vero ut sit ipse confirmatus. Hanc conditionem Doctores deducunt ex *can. 102. Distinct. 4. De consecr.*, in quo statuitur: 'In baptismate vel chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus vel confirmatus.' Huic canoni adhæret Pontificale Romanum *p. 1. t. 1. de confirm.* nec non resolutio S. Congreg. Con-

cilii relata a Giraldis, *Jus Pontificium p. 1. sect. 710*; in qua resolutione expresse traditur dicta conditio.

18. In officio susceptorum consuetudo est, ut per procuratorem officium illud compleatur.

Quæritur utrum in casu, et a quo contrahatur cognatio spiritualis.

Sunt qui dicunt contrahi a procuratore, quia ipse revera tangit et levat puerulum.

Sunt qui dicunt a mandante contrahi, quia procurator nomine mandantis agit.

Sunt qui dicunt ab utroque quia uterque partem agit in susceptione.

Sunt qui dicunt a nemine contrahi, quia lex est odiosa ob impedimentum quod inducit, nec revera sive in mandante, sive in procuratore verificantur plene conditiones legis.

Probabilior sententia est quæ tenet a mandante solummodo contrahi impedimentum.

19. Nam quod a procuratore non contrahatur patet ex pluribus decisionibus S. Congreg. relatis a Giraldis ad c. 3. h. t. n. 7. Quoad vero mandantem animadvertimus, quando adsunt unus vel bini susceptores adsignati, ut supra, certum est induci cognationem spiritualem. Instituta autem comparatione inter mandantem et procuratorem, prævalet ratio quæ pro mandante militat. Nam ipse revera tangere per alium et suscipere puerum dicendus est, quemadmodum non procurator sed mandans contrahit matrimonium, quando mandans procuratori commisit negotium contrahendi. Hinc in praxi saltem ad cautelam, mandans si velit matrimonium contrahere, cum baptizato aut confirmato ejusve parentibus, dispensationem expetere debet.

TITULUS XII.

De cognatione legali.

1. *Adoptio* inducta est in solamen illorum, qui filiis orbantur, *l. 1. ff. De Adoptionibus*. *Adoptio* definiri solet 'Actus legitimus, quo qui filius non est, aut nepos, in filium proprium vel nepotem assumitur'.

2. *Adoptio* in Jure Romano distinguitur in *perfectam*, quæ etiam *arrogatio* dicitur, et in *imperfectam*, quæ simpliciter *aroptio* appellatur.